

iter vestrum ad partes Alamanie, ita quod non oporteat ad presens apud Turolium vos redire. Datum Barchinone VI° Idus augusti anno predicto.

p. m? mandato regio facta per Bon. Garr.
fuit ei lecta.

¹ Register: ure.

Der hier genannte Gondisalvus Garcie erscheint öfters in Urkunden König Jakobs als dessen Consiliarius; vgl. meine Abhandlung ‚Elisabeth von Aragonien‘, Anhang I, Nr. 62 und Anm. 1 zu S. 187 derselben; Rymer, Foedera IV, 174.

33.

Bar-
celona,
1315
Aug. 9.

fol. 12^v

Iacobus etc. egregio viro Amedeo comiti Sabaudie karissimo consanguineo nostro salutem etc. Recepimus noviter litteram vestram, per quam significastis nobis, vos fuisse ad partes Alamanie et vidisse sanos et ilares serenissimum principem dominum Fredericum Romanorum Regem semper Augustum et serenissimam dominam Reginam Elizabet coniugem suam filios karissimos nostros et juxta cursus negociorum et condiciones patrie eos esse scribitis in statu prospero et felici, de quibus siquidem leticiam in intrinsecis magnam assumimus, veluti pater recipit in prosperis eventibus filiorum vobisque de significatis bonis rumoribus referimus multas gratias. Sane quia obtulistis vos in litera supradicta ad queque nobis grata paratum, oblacionem ipsam gratam habentes, licet antea tenuerimus et teneamus vos ad beneplacita nostra promptum, rogamus Nobilitatem Vestram hocque recipiemus pro servicio speciali, quamquam ad id animum vestrum voluntarium cognoscamus, quatenus circa ea que promocionem honorem et commodum principum predictorum karissimorum filiorum nostrorum respiciant cura sollicita efficaciter intendatis. Et habebimus hoc vehementer placidum acque gratum. Gaudemus preterea quod cum egregio viro nobis karissimo Leopollo Duce Austrie inclitam filiam vestram in amicabile federe matrimonii coniunxistis. Datum Barchinone V° Idus augusti anno domini M°CCC°XV°.

Bernardus de Auersone mandato regis.

34.

Bar-
celona,
1315
Aug. 11.

Iacobus etc. serenissime et preclare sue filie domine Elizabet per eandem Romanorum Regine salutem et cum paterne benedicionis plenitudine feliciam succesuum incrementa. Rem Deo placidam et nobis ac Regno nostro honorabilem atque utilem Serenitati Vestre defferimus, ut inde nobiscum gaudium assumatis. Noscatur igitur Vestra Serenitas, quod, cum Sarracenorum abhominabiles et fetide naciones, illorum potissime qui ulteriorem inhabitant Barbariam sub tyrannide Rege de Tirinice, per diversa nostri domini maria piraticam sepius frequentantes, nonnullis nostris fidelibus et aliis dampna quamplurima intulissent et inferre cotidie ausibus teme-